



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Qvæst. 1. Quid est alteratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

fit in illo instanti, nisi intelligatur abesse causa productiua formæ in rodenda, & hinc neque in instanti natura, in quo prius est materia quam forma introducenda, neque in illo instanti natura, negatio formæ corruptæ potest intelligi aut esse positivæ, antequam sit, ac intelligatur forma introducenda esse, sed quia potest intelligi esse forma introducenda in hoc tempore, & hoc sine dependentia à negatione alterius formæ tanquam à priori, licet non possit intelligi esse sine dependentia ab illa tanquam à posteriori, propterea debet dici esse prius natura quam illa negatio, & consequenter quam corruptio. Et si quæritur cur potest intelligi forma existere independentem à negatione tanquam à priori, non vero è contra, Respondeo propter rationes conclusionis.

CONCLUSIO V.

Generatio unius est corruptio alterius non in sensu formali, neque solum in sensu concomitanti, sed etiam in sensu causali, quatenus formalis ratio ob quam debet esse corruptio, est impossibilitas formalis, quam habet generatio seu forma per eam producta cum forma corrupta. Hac est communissima, & patet prima pars, quia generatio & corruptio distinguuntur specie ac realiter, & sunt separabiles: ergo una non est altera formaliter loquendo.

Probat secundam partem quia licet habeat concomitantiam, tamen non magis habet generatio concomitantem corruptionem, quam contra: generatio vero dicitur esse corruptio in aliquo sensu, in quo corruptio non dicitur esse generatio: ergo alio modo dicitur corruptio quam in sensu concomitanti.

Probat denique tertiam partem, quia, ut dixi, generatio est causa, ob quam fit formaliter expulsio, non vero è contra.

Aduertendum vero hic pro complemento, totum quod dixi de generatione & corruptione in hac questione non solum habere locum in generatione & corruptione substantialis sed in generatione & destructione, quæ intercedit inter formas accidentales contrarias, ac incompatibiles: eadem enim est ratio de omnibus. Quando vero mutatur aliquid præcise à privatione ad formam, aut à forma ad privationem, ut cum aer de tenebroso fit lucidus, aut de lucido tenebrosus: tum non interueniunt duæ mutationes reales, sed una tantum, nec prior est expulsio tenebrarum quam introductio lucis, aut lucis introductio quam tenebrarum expulsio, quia quandoquidem non detur negatio negationis realiter loquendo, ipsamet expulsio tenebrarum est introductio lucis, & expulsio lucis est negatio lucis, ac consequenter ipsa tenebra; in quo non est difficultas vlla.

DISPUTATIO XXIV.

DE ALTERATIONE.



VANDOQVidem generationes novæ, quæ sunt à causis secundis, prærequirunt dispositiones aliquas prævias, quæ per alterationem subiecti præexistentis sunt, hinc in ordine ad intelligendum, quomodo generatio fiat, agendum erat in hoc tractatu de Alteratione, & etiam satis congrue immediate post considerationem ipsiusmet generationis.

QVÆSTIO I.

Quid est Alteratio.

Alteratio variæ accipitur.

Intelligatur de qua alteratione hic agatur, aduertendum, alterationem varias habere significatio-

ones: Primo enim significat mutationem quamcumque, per quam subiectum fit alterum ab eo quod ante fuit, & sic comprehendit omnem mutationem subiecti ad formam accidentalem quamcumque: sicut enim differentia essentialis facit aliud, ita differentia accidentalis facit illud, cui aduenit alterum, seu alteratum. Secundo presertim sumitur alteratio pro mutatione subiecti ad qualitatem quamcumque siue spirituales siue corporales, & sic sumpsit eam Philosophus 5. Phys. text. 28. describens etiam esse motum ad qualitatem.

Quia vero quædam qualitates sunt, quæ non habent contrarium, ut lumen, species intentionales tam sensibiles, quam intelligibiles; quædam vero quæ habent contrarium, ut calor, frigus, albedo, nigredo, hinc alteratio in hoc ultimo sensu, ut scilicet est motus ad qualitatem diuiditur in illam quæ habet pro termino qualitatem non habentem contrarium, & quæ habet pro termino qualitatem habentem contrarium: & ex his alterationibus duabus prima vocatur perfectiva subiecti, quia subiectum perficitur, quin deperdat aliquid positivum ex ipsis, quæ habuit ante; secunda vero vocatur corruptiva, quia licet subiectum perficiatur per ipsam, quatenus recipit mediante ea aliquam formam, tamen hoc non fit absque deperditione alterius formæ positivæ.

Quia etiam qualitates habentes contrarium sunt in duplici differentia: nam quædam ex ipsis sunt diuisibiliter sibi oppositæ, & quædam indiuisibiliter; hæc producuntur instantaneæ, ut amor & odium, iudicium affirmativum & negativum, ac similia; illæ vero producuntur successivæ, ut calor & frigus, albedo & nigredo: hinc alteratio corruptiva potest ulterius diuidi in alterationem ad formas diuisibiliter oppositas & formas indiuisibiliter oppositas. Et denique quia qualitates aliquæ disponunt ad generationem, & aliæ non disponunt, propterea rursus potest diuidi alteratio in eam, quæ non disponit ad generationem, & eam quæ disponit; & sine dubio de hac alteratione in præsentem potissimum agitur, quamvis ex iis, quæ de eius natura dicuntur, multa applicari possunt ad alias alterationes, propter convenientiam, quam hæc alteratio, quæ dispositiva vocari potest, cum aliis alterationibus habet.

CONCLUSIO

2. Bene describitur alteratio, de qua hic per se agitur, esse Quod est mutatio, quæ aliquid mutatur successivè ab una qualitate ad alteram diuisibiliter oppositam. Hæc in re debet esse communis, & desumitur ab Aristotele hic text. 23. Probat autem, quia omni & soli convenit, nec continet aliquid superfluum, ut patebit ex eius explicatione.

Dicitur mutatio, quia in hoc tanquam in genere convenit cum aliis mutationibus etiam instantaneis, & substantialibus. Dicitur quæ aliquid mutatur successivè, quia in hoc differt ab omnibus mutationibus instantaneis. Dicitur ab una qualitate ad alteram, quia per hoc distinguitur à mutatione successiva, quæ aliquid mutaretur ab uno loco ad alterum, & à mutatione successiva substantiali, si talis detur, de quo suo loco.

Dicitur diuisibiliter oppositam, tum quia si non fuisset talis motus ab una ad alteram, non posset esse successivus; tum etiam ut intelligatur ad quas possit qualitates alteratio terminari.

Dices per hoc quod diceretur aliter ratio esse mutatio à qualitate ad qualitatem diuisibiliter oppositam, significaretur sufficienter quod esset successiva: ergo superflue additur.

Respondeo primo, distinguendo antecedens: sufficienter sic, ut possit facile colligi quod deberet esse successiva, transeat: sic ut tam cito id daretur intelligi, quam addendo successivè, nego antecedens & consequentiam.

Respondeo secundo, negando antecedens absolute, quia habitus intellectuales sunt qualitates diuisibiliter oppositæ, & tamen motus, quo anima movetur ab uno ad alterum, non est successivus, sed instantaneus: & ratio

huius est, quod illi habitus producantur per actus intellectus, aut voluntatis, illi autem actus sunt instantanei, unde habitus illi nequeunt produci successiue, & continue.

Possit etiam alteratio alio modo describi, esse mutatio, qua subiectum aliquod mutatur ad qualitatem dispositivam ad generationem: nam hæc etiam descriptio omni & soli alterationi, de qua hic agitur, convenit, nec continet aliquid superfluum. Sed magis tamen explicite in priori descriptione manifestantur multæ formalitates repetitæ in alteratione, quam in hac.

Quæritur, an si generatio esset impossibilis, daretur alteratio: videtur quod sic, quia sunt mutationes realiter distinctæ, ut suppono ex supradictis; videtur quod non, quia ordinatur per se ad generationem, & generatio ponitur in descriptione ultima ipsius paulo ante proposita, quam diximus esse bonam.

Respondetur breviter, simpliciter loquendo, quod alteratio esset possibilis, quamvis generatio non esset possibilis, & quod si de facto daretur subiectum calidum & frigidum, quamvis de facto non posset dari naturaliter generatio, aut corruptio, adhuc daretur alteratio de facto.

*Probat*ur prima pars, quia non est tam intima connexio ex natura intrinseca caloris aut frigoris, in quantum sunt calor & frigus, & in quantum etiam calor est productivus caloris, & frigus frigoris, aut in quantum sunt opposita formaliter, inter calorem ac frigus & generationem, quin sub illis conceptibus possint esse calor & frigus, quamvis generatio esset impossibilis, ut patet manifeste tum ex eo, quod possunt illi conceptus haberi de calore & frigore absque conceptu possibilitatis aut impossibilitatis generationis, imo cum iudicio positivo de impossibilitate eius; nec etiam hi conceptus ex ratione sua formali præsupponunt formalitatem aliquam respicientem generationem, nec ad eas ut sic sequitur ordo illius ad illam: ergo possunt esse à parte rei in aliqua substantia quantum ad naturam suam intrinsecam, & omnino necessario præsupposita & consequentia ad illam naturam, quamvis generatio esset impossibilis adeo, ut non possit ut ex impossibilitate generationis deduci aliquod argumentum ad ostendendam impossibilitatem illarum qualitatum, nec ex possibilitate eorum aliquod argumentum ad persuadendam possibilitatem generationis. Sed si darentur illæ qualitates sub illis conceptibus, non obstat impossibilitate generationis daretur sine dubio alteratio, secundum quod est mutatio successiva subiecti ab una qualitate ad alteram diuisibiliter oppositam: ergo absolute & simpliciter posset dari alteratio, quamvis non posset dari generatio.

Et hinc patet secunda pars, quia si de facto darentur agentia calida & frigida, quamvis de facto non posset dari generatio: sine dubio agentia illa calida & frigida alterarent se mutuo alteratione supra descripta.

Dices: qualitates alterationis dicunt ordinem aptitudinalem ad generationem: sunt enim aptæ naturæ disponere ad ipsam, & sunt aptæ naturæ emanare ex composito generabili ac corruptibili: ergo si esset impossibilis generatio, illæ etiam essent impossibiles.

Respondetur distinguendo antecedens: quasi ex conceptu qualitatis alterationis ordo ille sequeretur præcise ad illas qualitates vi istius conceptus præcise; aut quasi ex illo conceptu præcise haberent esse sic aptæ naturæ, nego antecedens: dicunt illam ordinem & aptitudinem, sed tamen non vi istius conceptus formaliter loquendo, concedo antecedens, & similiter distinguo consequens: illæ essent impossibiles ex vi conceptus formalis requisiti & sufficientis ad alterationem, nego consequentiam: realiter loquendo, & ex vi alicuius, realiter identificati, transeat.

Instabit ergo quandoquidem iste ordo identificetur realiter cum illis qualitatibus taliter, ut eo destructo, qualitates etiam destrui debeant, absolute & simpliciter debent dici istæ qualitates impossibiles esse, si esset impossibilis generatio, quia si hæc esset impossibilis, istæ ordo

esset impossibilis, & consequenter quidquid identificatur realiter per se.

Respondetur negando sequentiam, quia absolute & simpliciter non debet dici id repugnare alicui, quod non repugnat ipsi ex vi rationis formalis suæ; & ne fiat in hoc questio de nomine, quando nos dicimus in resolutione huius quæsitæ, quod non repugnaret alteratio quamvis repugnaret generatio: in hoc sensu id intelligimus, quod non repugnaret ex vi & conceptu formalis alterationis, ut est mutatio successiva inter qualitates diuisibiliter oppositas aut ex vi illarum qualitatum, ut sunt sic diuisibiliter oppositæ, & per motum successivum acquisibiles ac destruibiles: quidquid sit an ex alio capite repugnaret: & in hoc sensu tantum debet quæsitum intelligi, ac esse in controversia aliqua reali.

Hinc autem patet ad rationem dubitandi pro parte negati- *Solutio*
nam non ordinatur ad generationem ex conceptu alterationis, aut aliquo per se præsupposito aut consequente ad ipsum: quod autem ex alio capite sic ordinetur, non impedit partem affirmativam dubij, nec probat negativam.

Nec etiam generatio ponitur in secunda descriptione, quam approbavi, tanquam aliquid essentialiter requisitum ad conceptum alterationis habendum, sed tanquam aliquid, quod quia de facto solet sequi ad qualitates, ad quas fit alteratio, & non ad alias sine illis, potest deferri ad habendum conceptum de illis qualitatibus, etiam independentem à generatione, nisi quatenus generatio erat occasio habendi talem conceptum.

Obijciunt præterea ex *Rumio*, qui oppositum tenet hic tract. 3. q. 1. alteratio proprie dicta est motus physicus, qui versatur inter qualitates proprie contrarias: ergo disponit subiectum ad corruptionem, ad differentiam alterius alterationis, quæ non disponit: ergo si non esset corruptio possibilis, alteratio non esset possibilis: sed corruptio non esset possibilis, nisi generatio esset possibilis: ergo.

Respondetur negando primam consequentiam: distinguatur enim ab alijs alterationibus per hoc, quod esset mutatio successiva inter qualitates diuisibiliter oppositas.

Obijciunt secundo ex eodem: expulsio qualitatum positive contrariarum dicitur intrinseca ordinem ad expulsionem possibilem formæ substantialis: ergo & ad generationem possibilem, sine qua expulsio illa non esset possibilis.

Confirmatur, quia corpora cælestia ex eo, quod non sint generabilia & corruptibilia, non sunt etiam capacia accidentium proprie contrariarum, etiam de potentia absoluta: ergo signum est, quod subiectum incapax corruptionis sit etiam incapax alterationis; & consequenter quod si corruptio esset impossibilis, etiam alteratio esset talis. Hæc est summa probationis secundæ huius authoris, quam fulsime proponit.

Respondetur breviter negando antecedens, quod ab ipso potius debebat probari, quam cætera, quæ superflue probantur.

Ad confirmationem Respondetur negando antecedens: & quidem difficile est probare quod non alterentur ad tales qualitates naturaliter, aut saltem quod non possint sic alterari; unde nec apparentiam habet quod non possint sic alterari de potentia absoluta, cum in hoc nulla sit repugnantia. Quod si etiam non essent capacia talium qualitatum, sicut non sunt, ut adversarius dicit, qualitatum spiritualium; profecto hoc non necessario proveniret ex eo quod non sunt generabilia, aut corruptibilia, sed ex alio aliquo capite.

Obijciunt tertio, ex Philosopho hic c. 1. tex. 1. Quæ propter inquit si non sit possibile ex igne fieri aquam, neque ex aqua terram, neque ex albo nigrum, neque ex molli durum, eadem autem ratio & de alijs: hoc autem erit alteratio: ergo secundum ipsum si non esset possibilis generatio, neque etiam alteratio est possibilis, hic enim est sensus istorum verborum.

Respondetur, Aristotelem loqui de facto, & vult tantum quod quandoquidem non sit maior ratio contrariæ agens naturale

Alteratio esset possibilis quamvis generatio non esset.

rale alteret, quam generet de facto, si non potest generare, nec poterit etiam alterare. Sed ex hoc non sequitur, quod si impossibilis est generatio ex natura sua intrinseca, etiam alteratio impossibilis esset; sed sequitur, quod supposita possibili intrinseca utriusque, si agens naturale non possit unum, nec alterum etiam poterit, de quo eadem est ratio.

An mutationes polypi & camaleonis sit alteratio.
 8 *Quæres secundo*, an mutationes, quibus mutantur polypus, camaleon, & similia animalia ad colores corporum, quibus insident, sint alterationes comprehensæ sub alteratione huius descriptæ.

Respondeo breuiter cum Conimbricen. negatiue, tum quia mutantur in instanti, tum etiam quia longe verisimilius est quod non mutantur tum ad calores veros, sed quod appareant mutari, quia colores suppositi apparent per eorum corpora, sicut per vitrum apparet color corporis ipsi suppositi: neque enim apparet quomodo isti colores producerentur in ipsis tam cito.

Dices cum Theophrasto, produci ipsos propter metum eo modo, quo nos albescimus ob metum, & erubescimus ob erubescenciam. Contra, quia sæpè mutantur quando non adest occasio metus, & quandiu manent super talia corpora habent talem colorem, cum tamen non sit verisimile quod tandiu semper metuant; & deinde si ob metum proueniret, semper deberet mutatio esse eiusdem rationis, nec deberet alia & alia esse pro varietate corporum, quibus insident, contra experientiam.

Dices secundo: illos produci vi imaginationis. Contra, quia illum colorem habent, quandiu insident corpori, nec tamen verisimile est imaginationem tam diu fixam esse in consideratione istius corporis. Contra secundo, & melius, quia si mutarentur à corpore ad corpus absque eo quod aduerterent ad varietatem coloris, ut bene posset fieri, adhuc apparerent colorati: ergo id non prouenit ab imaginatione.

Nec refert quod camaleon palleat in morte, nec referat colores suppositos: nec enim hoc oritur ex eo quod deficiat tum virtus imaginatiua, aut metus, sed ex eo quod profundatur corpus dispositione aliqua impediente transparentiam.

QVÆSTIO II.

An alteratio sit motus continuus.

Motus alterationis potest esse continuus duobus modis.
 9 *EX* ipsa descriptione alterationis, de qua hic agitur, videretur sufficienter colligi quod sit motus continuus: descripta est enim esse mutatio, qua subiectum successiue mutatur à qualitate in qualitate diuisibiliter contrariam. Sed quia duobus modis potest aliquid successiue mutari, Primo proprie quando mutaretur ad formam aliquam pro aliquo tempore sine morula vlla, in qua quiesceret, præter morulas instantaneas, quæ intercedere debent inter partes quascunque temporis. Secundo improprie quando moueretur successiue ad aliquam formam acquirendo ipsam in aliquo tempore, sed ita ut intercederent inter acquisitiones partiū eius aliquæ morulæ non instantaneæ, sed temporaneæ; licet tamen imperceptibiles: & quia descriptio præmissa posset intelligi de qualibet ex his mutationibus, hic examinandum est de qua intelligatur.

Deinde quomodocumque intelligeretur illa descriptio, quidquid sit de possibilitate talis alterationis, posset adhuc dubitari an motus ad qualitates corruptiuas, quales censentur esse effluuiationes & frigefactiones, sint successiui. Ut inde colligatur an prædicta descriptio conueniat ipsis, nec ne: propter hoc etiam præsens quæstio proponi vtiliter potuit.

Præterea quandoquidem subiectum aliquod dupliciter alterari potest per qualitates corruptiuas, v. g. per calorem & frigus, ac similia, nimirum extensiuè acquirendo secundum vnā partem sui, partem qualitatis, & secundum aliam partem sui aliam partem; & intensiuè acquirendo qualitatem in vna & eadem parte magis ac magis intensam: quæstio examinanda est de vtraque mutatione & extensiuâ & intensiuâ.

Prima opinio dicit alterationem extensiuam esse successiuam, sed cum morulis temporaneis imperceptibilibus; intensiuam vero esse successiuam absque talibus morulis, aut vllis, nisi, instantaneis. Hanc tenet *Aegidius 1. de Gen. q. 16. & Iand. S. Phys. q. 8.*

Secunda opinio tenet vtramque esse successiuam, sed cum morulis temporaneis; neutram vero cum instantaneis solummodo. Ita *Capreolus, Soncin. Ianel. Ferrar.* quos sequitur *Arriaga hic dispnt. 2. n. 33.*

Tertia denique sententia est, quod vtraque alteratio sit successiuæ absque aliis morulis, præter instantaneas correspondentes instantibus temporis. Hæc est communissima inter *Scotistas, Thomistas, ac recentiores* hic, & eam expresse docet *Scotus 2. d. 2. q. 2.*

Ut autem intelligatur bene, aduertendum est, non esse sensum qui non possit aliquod subiectum alterari successiue cum morulis temporaneis, nam certum est quod pro hac parte temporis possit aliquid caloris recipere, & postea amota causa quiescere pro aliquo tempore, ac rursus applicata causa plus caloris recipere. Sed sensus est, quod non possit agens alterari siue extensiuè, siue intensiuè, quin aliqua saltem pars alterationis sit successiuæ absque morulis temporariis, & quod agens debite applicatum, quamdiu sic applicatum est, si alteret omnino, successiue alterare debeat absque morulis.

CONCLUSIO.

10 *Alteratio est motus continuus proprie dictus in sensu tertie sententia.* Hæc est contra duas primas sententias. Probatur primo Philosophi auctoritate 5. *Phys. tex. 39.* dicentis omnem motum proprie dictum esse continuum; sed nullus est motus proprie dictus magis quam alterationis: ergo.

Dices hoc intelligendum de motu continuo cum interpositione morularum imperceptibilium. Contra, quia sic aliqua pars ipsius deberet produci in instanti, sed hoc est contra Philosophum 6. *Physicorum*, ubi ait motum non fieri in instanti, nempe proprie dictum.

Deinde si morulæ intercedentes sunt imperceptibiles: ergo absque fundamento assuntur: neque enim potest eo ligi per rationem, quod intercedant, nisi constet experientia aliqua; non potest autem colligi experientia, nisi sint perceptibiles.

Probatur secundo ratione, quia successio in qualitate oritur ex diuisibilitate ipsius, ac qualitatis sibi oppositæ sed est diuisibilis in infinitum etiam secundum aduersarios; ergo non potest vlla pars ipsius produci in instanti, & consequenter quæcumque pars ipsius debet produci in tempore per motum continuum, & non per motum discretum. Probatur prima sequela, quia illa pars, quæ produceretur, haberet plures partes, & consequenter haberet principium successionis, seu rationem, ob quam deberet successiue produci.

Confirmatur experientia, qua experimur manum nostram applicatam igni continue, ac sine vlla intermissione magis ac magis calefieri; ergo cum nihil obstat, debemus iudicare conformiter ad sensum, quod ita fiat.

Probatur tertio conclusio, & simul impugnatur vtraque aduersa sententia, quia sequeretur ex iis quod agens naturaliter debite applicatum passo pro aliquo tempore nihil in ipso producat, quod est absurdum. Patet sequela, quia in tempore illo, quo fieret interruptio motus, nihil produceret, & tamen tum esset tam sufficienter applicatum, quam ante vel post.

Dices in tempore illo produci dispositionem ad sequentem gradum qualitatis, quæ producitur.

Contra, quia non est maior ratio, cur ista dispositio produceretur in tempore quam ipsamet qualitas. Præterea ipsamet productio talis dispositionis est alteratio; ergo si productio illa est continua, aliquis motus alterationis est continuus, quod nobis sufficit. Deinde falsum est requiri dispositionem aliquam ad recipiendum, vel producendum secundum gradum, vel tertium, vel vllis alios sequentes qualitatis, & aduersarij nullum habent fundamentum id dicendi.